

4

LXXV    1765

DISPUTATIO INAUGURALIS  
AXIOMATA MISCEL-  
LANEA EXHIBENS;

Q U A M  
Regiæ Academiæ Procancellario Amplifs.;

*Reverendissimo in Christo Patre,*

DN. ÆSCHILLO PETRÆO,  
S. S. Theol. Doct. Celeberrimo, Diocesis hujus Episcopo,  
nec non Protosynedrij Præside gravissimo.

Rectore Magnifico,

*Plurimum Reverendo VIRO,*

DN. M. GEORGIO ALANO, S. S. Theol.  
Professore Primario, nec non utriusq; Eccl. in hac Civitate cum  
annexâ Nummensi, Pastore dignissimo.

E Venerandæ Facultatis Philosophicæ Decreto,  
Decano Spectabili;

*Nobilissimo, & Consultissimo VIRO,*

DN. MICHAEL E GYLLENSTRÄLPE/  
Ph. & V. J. D. Ejusdemq; ac Philos. Pract. P. P. Excelentif.

P R Æ S I D E,

R E V E R E N D O VIRO,

DN. M. ABRAHAM GEORGII THAUV.  
Phyl. & Botan: Prof. Præclarissimo.

*In nominata ad Auram universitate Florentissimâ, Pro  
Gradu & Privilegijs Magistrij obtinendis,*

JOHANNES S. FORSENIUS NYLANDUS  
Publico Examine Submitto,

Ad diem 9. Aprilis, horis & loco consuetis



*Reverendo & Venerabili VIRO,*

**Dn. SVENONI TORCHILLI.**

*Præposito Districtus Raseburgensis & Pastori in loco  
vigilantissimo, Patri Charissimo, Filialis obser-  
vantia cultu æternum honorando.*

*CLARISSIMO & SPECIATISSIMO VIRO,*

**Dn. M. AXELIO A. KEMPE,**

*Academiæ Regiæ Bibliothecario & Fac. Philos. Adjuncto  
meritissimo, Antebac Præceptori Maxime industrio,  
calido obsequij zelo atatem suspiciendo.*

*Humanissimo & Præstantissimo VIRO,*

**Dn. OLAO J. NÆSANDRO,**

*Ecclesiæ Orientalis Hamningianæ Præconi fidelissimo, à  
tenere inde Præceptori itidem valdè assiduo quo-  
vis offi ij genere jugiter prosequendo.*

Fatorum indulgentiam,

Bonorum Affluentiam,

Præsenti,

Venerationis sacratæ indice,

Benevolentia dicato munere,

Exoptat,

*Vobis Addictissimus*

**J. S. FORSENIUS.**



## A X I O M A I.

*Philosophia est Comprehensio Artium Liberalium*

Ergò

*Partes ejus sunt non tantum Disciplina Reales sed etiam Instrumentales,*

**N**ON levem hìc Controversiæ ferram Peripatus cum Ramæis reiprocatur: *An Philos. per Habitum an Comprehensionem sit definienda*, aut cordatorum sanè judicio minimè necessariam; Etenim si diversus rerum respectus attendatur, altercationes de facili subsident, *Systematica* n. Philosophiæ acceptio, legitima illa præceptorum ordinatio ab omni existendi modo abstracta, *Habituali* tantum abest ut contrarietur, ut potius eidem subordinetur, atq; ad eam ceu finem proximuma referatur. Hinc **E.** *Systematicè* considerata rectè per *Comprehensionem artium Liberalium* describitur Philosophia, quæ cum *Ens aggregatum* sit, pro genere hìc formam pro differentiâ *Materiam* obtinet. Undè & secundù facile cõfit: *Instrumentales* quippè disciplinæ, sensu, observatione, *Inductione* & *Experientia*, non secus ac reliquæ comparatæ, artes liberales sunt, cõcinnâ præceptorum homogenorum, *Catholicorum*, usu & exercitatione cognitorum, ad finem in vitâ utilem tendentium, ordinatione, claræ, Eadem **E.** partes esse Philosophiæ Latè acceptæ, luce meridianâ radiat.

## A X I O M A II.

*Artium Instrumentalium quedam versantur circa operationem vel congruam vel concinnam quedam verò Rationem informat.*

Ergò

*Artes Instrumentales tres sunt Grammatica, Rhetorica, Log.*

**D**Uabus hominem eminentijs & prærogativis à Deo ter Maximo exornatum novimus *Ratione* sc. & *Oratione*

ratione; Hæ quantum per lapsum Protoplastorum accē-  
 dere detrimēti, optimè novimus qui prævijs artū præ-  
 ceptis easdē utcutiq; excolere satagimus. His E. rebus  
 fit ut *Grammatica* primò indigeamus; quæ modum doc-  
 cens regularitèr proprijs & expeditis verbis animi sensa  
 exprimendis congruam sic orationis & scriptionis puri-  
 tatem respicit. Quia v. exigente ita necessitate in con-  
 cionem prodire subindè expedit; non jam puræ sermo-  
 nis regularitas, non proprietates dictionum sola sufficit  
 sed ut *fitus*, tum *Internus in bene dicendo*, tum *externus in per-  
 suadendo* consistens, ab oratore obtineatur; *Rhetoricæ* resulu-  
 tet necesse est *Facultas illa videndi in unaquaq; re quid ad per-  
 suadendum aptam sit.* Hæ suis præceptis Oratorem in-  
 formans ad dicendū de *Questione quavis tam Finita quā  
 Infinita*, modum tradit *argumenta*, non quidem *Generalia  
 & Erdoxa*, Sed *Specialia & miranda* *svadibilia* quæ talia,  
*Logica, Ethica & Pathetica*, ex *locis communibus* & *Proprijs  
 inveniendis*, quibus orator pro re natā ad dicendum utat-  
 tur tum *inventa disponendi* per partes orationis in certō  
 aliquo causarū genere; *Disposita* dein *Troporum  
 florulis & Figurarum cincinnis redimiendi & exornan-  
 di*; *Quæ memoria mandata aptè pronuntianda.* Cæterum  
*Ratio* nē instar *Nycticoracis* ad veritatis apricū planè cæ-  
 cutiat *Logica* quæ maxime opy habet, *Arte* sc. bene differendi; Cuius *Obiectum  
 Operatio* est *diuine Entis & Non entis*; *Considerationis, Notiones Secundæ,  
 tā Simplicis, quam Compositæ.* Hæc rebus imprimendæ, modum demonstrat  
*Argumenta Inveniendi, inventaq;* secundū *Judicium Axiomaticum, Syllab-  
 gisticum & Methodicum* disponendi. Atq; sic suam *Oratio* suamq; *Ratio* pro  
 mortalium conditione perfectionem assequitur.

### A X I O M A III.

*Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu.* Ergo

*Singularia sensibilia primo obijciuntur.* Ergo

*Dabitur intellectui ignis.*

Et veritate tritum & veritate communitum est *illud ver-  
 ri*

riverbium; Intellectus quippè noster cum sensibus adeo  
 conjunctus est, ut per hos, seu internuncios rerum omni-  
 um, materiam intelligendi indiget. Non tamen  
 illuminatione hoc Axioma intellectum voluimus, cum non  
 loquatur de notitijs innatis sed acquisitis, non de sensib<sup>9</sup>  
 solù externis sed internis simul, non de eo quod in sensu  
 sicut est directe per se & immediate, sed quocùq; modo. *Istud*  
*a.* facile obtinemus, cum i vetum ordinem facultatum a-  
 nimæ perpenderit<sup>9</sup>, ut ubi desinit inferior ibi superior  
 incipiat. Primo *E.* singularia sensibilia species spargunt  
 & diffundunt, quibus *sensus* petunt & lacessunt semper  
 Et *Visus* quidem sicut & *Auditus* has species nudas versat  
*Olfactus* v. *Gustus* & *tactus*, quandoq; etiam *Materiæ* im-  
 mersas. Hæ postea à sensibus istis quinque ad *Sensum Com-*  
*mune* deferuntur, quæ iudicis instar q. in Solio residens  
 easdè excipit & iudicat. Quas iterum *Phantasia* diligentè  
 examinans alias ex iisdè novitè elicit. *Hoc* deniq; sua spon-  
 te sequitur, Dandum sc. esse intellectu agentè. *Intellectus*  
 quippe capax est specierum intelligibilium, Spiritualium  
 & maxime universalium; *Phantasmata* a. quæ à sensibus  
 obiciuntur, sensibilia, singularia & materialia sunt Horum *E.* ut perfecta in-  
 tellectio habeatur, intellectui proportionalia, abstracta & immaterialia fieri ne-  
 cessum habent. Id quod intellectus agentis est officium, qui species sensibiles  
 abstractat à conditionibus materialibus, easq; in intelligibiles transmutat, & ius  
 ex potentia intelligibilibus actu intelligibilia efficit.

#### A X I O M A IV.

*Quicquid neq; per se neq; per accidens est divisibile, id*  
*extensum esse nequit.*

Ergò

*Erit totum ubicunq; est.*

Ergò.

*Omnis Forma est tota in toto, & tota in qualibet Parte.*

**I**n negotio quod hic facessunt feliciter expediundo,  
 multa paucis comprehendere volupe ducimus. Rem

itaq; quodammodo expeditam daturi, principio nesciendum nolumus; *Distingui hic (1) inter Totum Essentiale, Potestativum & Quantitativum, (2) Inter Formam materialem & immaterialem; (3) Inter Divisionem per se & per accidens. Nos propositiones formamus leqq.*

**I.** *Forma Immaterialis quia indivisibilis est tam per se quam per accidens, est tota in toto & tota in qualibet parte totius. Neq; de hac ullum est dubium.*

**II.** *Forma tam Materialis quam Immaterialis, Spectata Ut totum Essentiale i. e. ratione Essentiae, est tota in toto & tota in qualibet parte. Essentia quippe in indivisibili consistit: Verum ratione facultatum considerata ut totum Potestativum, est quidem in qualibet parte tota originaliter verum non subjective. Prius patet: Nam forma est indivisibilis secundum essentiam, quod v. tale est, ubicunq; est, totum est. Posterius radiat: Nam formae facultates cum propria accidentia sint, hanc habent naturam ut a causa certa existant & in subiecto certo insistant, Facultas E. visiva etiam quoad originem est in digito, si n. in digito esset oculus anima in digito videret, nulla accita e cerebro potentia Scal. subjective vero in solo oculo.*

**III.** *Forma Materialis ut totum quantitativum considerari nequit. Non enim dimensionibus proprie constat, nec partem extra partem habet, cum neq; per se neq; per accidens divisibilis sit; Non per se: Nam sic Divisibilitas est individuus comes materiae; Neq; per accidens quod enim per se est Indivisibile, id per accidens nequit fieri divisibile, cuius non est substantiam immutare. I. nec est extensa; E. nec quanta; E. tota ubicunq; est; E. O. Forma est tota in toto, & tota in qualibet parte; quod erat probandum.*

A X I O M A V.

*In disciplinarum subalternatione legitima requisita sunt attendenda,* Ergo

*Inferior principijs demonstrandi superioris utatur eiq; differentiam accidentalem superaddat,* Ergo

*Mathesis Specialis Generali subordinatur.*

**D**E subordinatione Disciplinarum Mathematicarum dacturi, paucis prælibamus Disciplinam alteri subalternatam censeritum *Ratione Finis*, tum *Principiorum* tum *subjecti*. Hinc *requisita legitima subordinationis* hæc sunt: ut sint (1) *distincta scientia* (2) *non opposita*, (3) *Subjectum inferioris sub objecto superioris contineatur* (4) *à qua demonstrandi principia mutuetur* (5) *eiq; differentiam accidentalem addat*. Hinc apparet facile *specialem Mathesin Generali subordinari*. *Generalis enim* *Quantitatem* vel *Discretam* vel *Continuam* simpliciter & abstractivè considerat, *Specialis* v. *Quantitatem restrictam* & sensibili qualitate vestita pertractat itaq; objectum *hujus* sub objecto *illius* contineatur & quæ in subalternante demonstrata sunt à priori, & conclusionis habent rationem, in subalternatâ sine probatione inftar principij assumuntur, subalternata deniq; accidentalem tantum subalternanti superaddit differentiam; E. Quod probandum erat jubare solari clarius radia.

A X I O M A VI.

*Summū Bonum est operatio animæ rationalis secundū virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ* Ergo.

*Virtus est promptitudo agendi secundum honestatis normam qua affectibus omnibus tale injungitur moderamen ut tranquillus & beatissimus qui in hoc mundo haberi possit status obtineatur.*

Quot

**Q**uot capita tot sensus esse, vel perplexa illa sententiarum divortia arguunt, in quæ Philosophos circa essentiam summi Boni abiisse accepimus. Adeo *sumum cuique pulchrum* est, nec luxuriantis ingenij libido usquam quod pectus exfaturet invenit, Nos breviter cum optimis Ethicis veritati litantes deponimus *Summum Bonum Civile situm esse non in voluptate, nec Honore, nec divitijs, nec Ideâ Platonica, Sed in virtutis continuata actione.* Unde mox dispalescit *Medium*, quo finis hic obtinetur *Virtutem esse, Promptitudinem illam agendi* ab habitibus intellectualibus, corporis, naturalibus, in vitis & temerarijs, planè distinctam, cuius *Objectum Internum Affectus* sunt, *Forma* vero ipsa *honestas* seu rectæ rationis norma est, sicuti *Finis beatitudo* & jucunda animi tranquillitas, *Efficiens* deniq; *Particularis Actio Bona* est, sed In statu humili & ante habitum considerata, prout hominem jam capit assuescere & ita disponere ut ad fastigium virtutis plene queat passibus grassari. Tenendum tamen est non actionem *Invitam* sive ea *violenta sit* sive *imprudens* causam virtutis esse, cum *voluntas & scientia* ab his plane exulent, quorum si alterutrum abfuerit, non potest quis revera propter suam actionem licet bonâ laudibus & præmijs ornari nec versa vice ob malam reprehendi & penas luere. *Spontanea* Ë actio causa virtutis erit, erit principium in agente singulas circumstantias sciente. Hinc *objecto bono, Volitio* id cum ratione appetit; *Consultatio* de medijs ad finem ducentibus ratiocinatur; *Electio* v. media eligit, facta initio ab ijs sine quibus ad reliqua non datur aditus. Cum voluntate vero indissolubili nexu concatenata est Libertas tum contrarietatis tum contradictionis tollens non necessitatem obiecti, nec decreti, nec præcepti, nec promissi divini, sed necessitatem coactionis, quoad actus voluntatis Elicitos quorum resp. *Voluntatem cogi non posse, (in innotæ brevitate studentes) concludimus,*